



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quomodò mors & supplicium Christi sit in redemptionem fidelium:
sanctorum autem martyrium, in testimonium fidei in Christum, &
exhortationem constantiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

2. *Quòd Christus sua morte meruit solus omnibus sanctis & hominibus hæc duo, remissionem peccatorum & calum, quod nullus sanctorum suo martyrio sibi mereri potuit.*
3. *Quòd Christi mors meruit omnibus creditibus capitale bonum, sanctorum autem martyrium, accidentale in celo secundum gradus.*

1. **P**ropheta Esaias inquit capite 53. Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum, ergò solus ipse Christus mortuus est pro peccatis totius mundi, vel hominum in mundo: & nullus Martyrum passus est pro mundo aut singulari homine, vel suo martyrio illum saluaret. Quarè solus vnus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit nobis semetipsum redemptionem pro omnibus, 1. Timoth. 2. & 1. Ioan. 2. Ipse est propiciatio pro peccatis totius mundi, quoniam mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram, Romanorum 4. Ergò mors & supplicium Christi, pro totius mundi redemptione est facta, quatenus nos redimeret à potestate Sathanæ, mortis & inferni, ipse vnicus est saluator. Et quoniam hoc omnes qui salutem & iustitiam quærunt, credere debent, quoniam CHRISTVS mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter nostram iustificationem, ideo sancti Dei homines, quos Spiritus sanctus hæc fide iustificauit & sanctificauit in testimonium, quod hæc sit vera fides, saluans hominem, ipsi nedum operibus illam sunt confessi aut corde, sed etiam opere & martyrio ac morte, qua testificati sunt fidem suam nobis in exemplum constantiæ, sicut dicitur ad Hebræos. Sancti per fidem vicerunt regna, &c. Et iterum: Lapidati

dati sunt, secti sunt, &c. Ideò multa millia testium, id Heb. ii. est, sanctorum martyrum, habet nostra fides. Nec aduersus eam præualebunt portæ inferorum, Matthæi 16. Sed martyrium sanctorum licet sit testimonium fidei, nullatenus tamen sancti alicuius mors & supplicium facta est pro redemptione totius mundi, sicuti vnica Christi mors. In solum Christum posuit Pater omnia nostra peccata, qui solus est victima pro salute totius mundi, sicut Christus ipse dicit Mat. 26. Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, & sanguis qui pro vobis effunditur, &c.

Christus solus omnibus hominibus, & sanctis 2. meruit hæc duo, reconciliationem, id est, remissionem & vitam: & nullum martyrium sancti alicuius, quantumcunque acerbum, hæc duo sibi mereri potuit. Nam sancti, puri homines sunt: Christus, Deus & homo: martyrium sanctorum, opus finitum: Christi mors, virtus infinita: ergò nemo putare debet, quod Sancti semetipsos suo martyrio saluauerint. Sed oportet omnes confugere ad Christi sanguinem & mortem, de cuius plenitudine oportet accipere omnes, Ioan. 1. Etiam beata virgo virtute passionis Christi saluata est, non propria sanctitate: nam virtus passionis accipi vult fide in Christum, ideò inquit 1. Ioan. 1. Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato: ad Coloss. 1. Omnia pacificans per sanguinem crucis eius. Et 1. Petr. 1. Empti estis precioso sanguine Christi Ioan. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, &c. Nullus ergò martyr potuit sibi ipsi impetrare remissionem & vitam æternam, quanuis participationem. Sed hoc solum est in Christum trassatum. In sanguine Christi saluati sunt ab initio mundi omnes sancti, prophetæ, martyres, virgines, confessores, viduæ, & hodiè quotquot viuentium saluantur: quia vnica victima est Christus. Nulla ergò pœna vel martyrii cuiuscunq; sancti, æqualis est virtutis cum morte Christi: